Ad quem in deteriuis comutaret. neque id quod fui
mus manere potuimus; Cum autem per ipsum
uenimus ad patrem sicut ait. nemo uenit
ad patrem nisi per me. Manentes in illo nec
abstrahere nos quisquam poterit. neque se
parari ab illo, conectens utique consequen
tia precedentibus; Si cognouissetis me et
patrem meum utique cognosceretis;
Hoc est quod ait. nemo uenit ad patrem nisi
per me. deinde subiungit; Et amodo cog
noscetis eum et uidistis eum; Sed philippus
unus ex discipulis non intelligens dicta;
DOMINE INQUIT OSTENDE NOBIS PATREM
ET SUFFICIT NOBIS; Cui dominus respondit;
TANTO TEMPORE VOBISCUM SUM
ET NON COGNOUISTIS ME PHILIPPE QUI
UIDET ME UIDET ET PATREM; Ecce increpat
quod tanto tempore cum ipsis erat et non
cognoscebatur; Nonne ipse dixerat.
Et quo ego uado scitis et uiam scitis; et illos
nescire dicentes eos hoc scire conuicerat
addendo atque dicendo; Ego sum uia et
ueritas et uita; Quomodo nunc dicit;
tanto tempore uobiscum sum et non cogno
uistis me; Cum profecto et quo iret et uiam
scirent; Sed facile ista soluitur questio.
si dicamus quod eum aliqui eorum sciebant.
aliqui nesciebant. ex quibus philippus
erat; ut quod ait et quo uado scitis et uiam
scitis illis dixisse intellegatur qui scie
bant. non philippo cui dictum est.
Tanto tempore uobiscum sum et non cogno
uistis me philippe. His ergo qui filium
iam nouerant etiam illud de patre
dictum est. Et amodo cognoscetis
eum et uidistis eum; Dictum est enim propter
omnimodam similitudinem que illi cum
patre est. Ut ideo amodo dicerentur
nosse patrem quia nouerant similem fili
um; Ergo iam sciebant filium etsi non
omnes certe quidam eorum quibus dicitur;
Et quo uado scitis et uiam scitis; Ipse est
enim uia; sed patrem nesciebant. Ideo
audiebant; Si cognouissetis me et
patrem meum cognouissetis; per me utique et
illum; Alius enim ego sum. alius ille. Sed
ne putarent dissimilem. Et amodo
inquid cognoscetis eum et uidistis eum;
Viderunt enim eius simillimum filium.
sed ammonendi fuerant talem esse etiam
patrem quem nondum uidebant; Et ad hoc
ualet quod postea philippo dicitur;
Qui uidet me uidet et patrem; Non quod
ipse sit pater et filius. quod in sabellianis qui
uocantur etiam patripassiani catholi
ca fides dampnat. sed quod tam similes
sint pater et filius ut qui unum nouerit.
ambos nouerit; Inter nos solemus enim
de duobus simillimis ita loqui eis. qui
unum illorum uident. et qualis sit alius
uolunt nosse. ut dicamus; Vidistis
istum. illum uidistis; Sic ergo dictum est;
Qui me uidet uidet et patrem; Non utique ut
ipse sit pater qui et filius. sed quia a patris
similitudine in nullo prorsus discrepat
pater et filius ... non nisi duo est ...